

lunas et cetera etiam in uno et inmensa et innumera-
bilia sidera, quasi non eadem quaestiones semper
in termino cogitationi sint occursurae desiderio
finis alicuius aut, si haec infinitas naturae omnium
artifici possit adsignari, non idem illud in uno facilius
sit intellegi, tanto praesertim opere. Furor est, 4
profecto furor egredi ex eo et, tamquam interna
eius cuncta plane iam nota sint, ita scrutari extera,
quasi uero mensuram ullius rei possit agere qui sui
nesciat, aut mens hominis uidere quae mundus
ipse non capiat.

II. (2) Formam eius in speciem orbis absoluti 5
globatam esse, nomen in primis et consensus in eo
mortalium orbem appellantium, sed et argumenta
rerum docent, non solum quia talis figura omnibus
sui partibus uergit in sese ac sibi ipsa toleranda est
seque includit et continet, nullarum egens compagium
nec finem aut initium ullis sui partibus sentiens,
nec quia ad motum, quo subinde uerti mox adparebit,
talis aptissima est, sed oculorum quoque probatione,
quod conuexus mediusque quacumque cernatur,
cum id accidere in alia non possit figura.

III. (3) Hanc ergo formam eius aeterno et inre- 6
quieto ambitu, inenarrabili celeritate, uiginti
quattuor horarum spatio circumagi solis exortus et
occasus haud dubium reliquere. An sit inmensus et